




NOS D. D. PETRUS CYRILLUS URIZ ET LABAYRU,  
DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, EPISCOPUS, NEC NON DECANUS  
ET CAPITULUM S. ECCLESIAE CATHEDRALIS ILERDENSIS.

Cum munus, atque studium in promovenda nostræ Ecclesiæ Cathedralis utilitate, exigere haud hæsitemus, ne Canonicatum, et Præbendam Presbyteralem, atque Doctoralem vacantem per defunctionem D. D. Ignatii Maria à Sullá, diutius vacare patiamur; idcirco publicum edicere certamen, & cunctos in Jure canonico, vel civili Doctores, sive Licentiatus, ex Academiis in Hispania approbatis, qui se opponere velint, invitare, admonereque decrevimus, ut intra dies sexaginta ab inferiori data computandos, quosque pro ut oportuerit prorogare poterimus, in actis Scribæ Capituli oppositioni subscribant, authenticum suscepti baptismatis, ac primæ Clericalis Tonsuræ testimonium exhibentes.

Hæc igitur Petitoribus indicitur meta laboris: Unusquisque super caput unum á se delectum ex sorte oblatis, ex Libris Decretalium Greg. IX (concesso viginti quatuor horarum tempore) per horam integrum orationem expositivam habeat, duorum argumentorum periculum subeat, unumquodque per dimidiatam horam, eodemque temporis spatio bis argumenta proponat, tandem de traditis sibi actis cuiusdam litis (concesso iterum viginti quatuor horarum tempore) factum narret, partium allegationes referat, & sententiam proferat.

Demum ad hunc Canonicatum Doctóralem, ac Presbyteralem sic vacantem obtinendum, nominabitur (ab Episcopo, et Capitulo Ecclesiæ Cathedralis,) ille, qui ex omnibus contendentibus magis idoneus judicabitur, idque conformiter juri in Concordato articulo decimo octavo expressè consignato: Qui, novis superioribus dispositionibus sese subjiciens, non solum servitia ab antiquo debita se præstaturum jurabit; sed etiam omnium causarum hujus Ecclesiæ & Capituli gratuitum patrocinium & tuitionem suscepturum; omnia eorum jura tam in judicio, quam extra judicium defensurum, & ad hunc finem omnes petitiones, juris allegationes, ceterasque opportunas scripturas facturum & subscripturum; atque omne id, quod ad eadem jura tuenda, easdemque causas plenè perfectèque instruendas expedire videbitur, acturum atque curaturum; ita ut ejusdem Ecclesiæ & Capituli Patroni et Advocati muneri cumulatè satisficiat: quod si prædicta officia pro Ecclesiæ nostræ tuitione per se ipsum quâvis ex causa præstare nequiverit ad eadem per idoneam personam præstanta suis expensis tenebitur, Officium Vicarii Generalis, seu aliud cum jurisdictione non admissurum, & doctrinam in sessione XV Concil. Generalis Constantiensis anno MCCCCXV celebrati, contentam, observaturum, & edoceturum. Accedant itaque hi quibus merita suffragantur, nec se aliena commendatione juvari posse confidant. Dat. Ilerdæ in Aula Capitulari die decima tertia Octobris Anno MDCCCLIV.

Petrus Cyrillus Episcopus Ilerdensis.



D. D. Joannes Mensa  
Decanus.



De mandato Ilmi. D. Episcopi et Capituli  
Franciscus Miguel Canonicus  
Secretarius.



Edictum concursus pro Canonicatu, et Præbenda Doctorali S. Eccles. Ilerd.